

2. Quidnam Tibi dicitur *Polygamia aequalis*, quem Terminum non explicuisti, licet reliquas Polygam. species definiueris.
3. Non adeo contentus sum Tecum, quod male mihi permiseris vocare rem nomine minus recto, cur enim, dum dixi ad peripheriam tui auditorii virentis in praedio, id est Corallium, cur, inquam, me non correxisti? cum iam scio, quod sit Isis. Immo in eodem loco annon forte Madreporam nominaui, quae tamen est Cellepora. Hoc imposterum euites, rogo humanissime, quo enim plus me corrigis, eo maiorem in me excitas amorem.
4. Ubinam quamdam, sed bonam de Xylo. Indorum reperire possum relationem.

Nolo iam plura adferre, ne Te obruam nimis, exspectans tam ad haec quam ad *praecedentia de die* ♂ Tuas responsiones, nec non de *Indice Boerhaavii* mandatum Dom. Cliffortii, cui me etiam atque etiam commendes, quidnam faciendum velit. Valeas.

die 4.

Utanskript:

*A Monsieur
Monsieur Linnaeus
Docteur en Médecine*

by myn Hr Cliffort.

à
Hartekamp.

Linn. Soc., Vol. I: 387.

129.

Fautori suo Optimo
S. P.

Ioannes Bartsch.

Percepi haud ita pridem ex Gallo quodam, Doctore Med., quod quidam Monspeliensis systema quoddam morborum condiderit, idque ad D. Boerhaavium transmiserit, vt eius obtineret iudicium; idem et systema Botan. et pro insectis confecit, quod vltimum ad Reaumurium misit, curauit et rogauit, vt transportandum curet eius Exemplar, vt et Tibi illud, qualecunque sit, haud maneat ignotum.

Non faciam ceremonias, sed impudenter Tibi furabor tempus, sperans die ☉ aliquanto minorem Tibi futurum laborem.

1. Didici ex Te *culmum* esse eam speciem trunci, quae concaua et articulata. Cum vero ex vltima Tua responsione intellexerim Scirpum